

Anhang I/3.

In Festo S. Angeli Custodis. Ad Vesperas.

1. Custodes hominum psallimus Angelos,  
Naturae fragili quos Pater addidit  
Caelestis comites, insidiantibus  
Ne succumberet hostibus.
2. Nam quod corruerit proditor Angelus,  
Concessis merito pulsus honoribus,  
Ardens invidia, pellere nititur  
Quos coelo Deus advocat.
3. Huc custos igitur pervigil advola,  
Avertens patria de tibi credita  
Tam morbos animi, quam requiescere  
Quidquid non sinit incolas.
4. Sanctae sit Triadi laus pia iugiter,  
Cuius perpetuo numine machina  
Triplex haec regitur, cuius in omnia  
Regnat gloria saecula. Amen.